DE GLORIOSISSIMA CHRISTI DOMINI RESURRECTIONE

ORATIO

Habita pridie Idus Aprilis MDCCXXXV.

IN SACELLO PONTIFICIO

Ad Sanctiss. Dominum Nostrum

CLEMENTEM XII.

A

COMITE PHILIPPO DE VALENTIBUS

TREBIATE

Collegii Nazareni Convictore.





ROMÆ, MDCCXXXV.

Ex Typographia Hieronymi Mainardi.

SUPERIORUM FACULTATE.

BEATISSIME PATER.



Lurimæ solent esse causæ, BEATISSIME PATER, *cur Tibi potissimum unusquisque sui ingenii monumenta supplex offerre, tuoque magno Nomini inscribere gestiat; Pontificii videlicet patrocinii majestas, amplissimarum magnitudo virtutum, beneficentia singularis, ac præ cæteris humanitas illa tua prope incredibilis, qua omnes amantissime excipis, omnes paterno amore complecteris. At vero mihi, præter hæc omnia communia cum cæteris, quæ quidem maximi facienda esse puto,*

alia quoque fuit ratio , & sane gravissima , hanc Orationem meam Tibi suppliciter exhibendi , ut aliquod scilicet pro maximis tuis in Patruum meum beneficiis grati animi signum extaret . Quem enim primo Clemens XI. Sub-Datarium; deinde Benedictus XIII. Romanæ Rotæ Auditorem , & Archiepiscopum Theodosiæ cooptaverat , eum Sanctitas tua ampliori munificentia Pro-Datarii munere decoravit; & fortasse erat majora quoque summæ beneficentiæ tuæ præmia consecuturus , nisi paucos post menses importuna fuisset morte præreptus . Nunquam tamen ex animo meo , meorumque omnium excidet tantorum beneficiorum memoria ; nunquam singulare tuum erga eundem Patruum nostrum studium , ac familiæ totius dignitatem laudibus non efferemus ; Teque non modo Principem optimum , sed quasi Parentem beneficentissimum semper habebimus . Excipe itaque , qua summa soles benignitate ; hoc primum obsequentissimæ voluntatis meæ testimonium ; & dum per ætatem , atque ingenii imbecillitatem majora proferre nequeo , esto hoc , qualecumque sit munus , tuæ erga nos beneficentiæ perpetuum monumentum .

ORATIO.



URE, & merito nobis hodierno die lætandum eſt, qui paulo ante, cum Parentem noſtrum amantiſſimum tam acerbe, tamque crudeliter in Crucem ſublatum intueremur, graviſſimo dolore perculſi fuimus: ad immortalem quippe vitam ille hodie ſuperata morte reſurrexit, ut nos paſſionis ſuæ acerbitate perturbatos erigeret, & lacrymis, luctuque confectos exhilararet. Quanta vero gloria, quantaque pompa redivivus apparuerit, lapis ab oſtio monumenti revolutus, milites affulgente de Cælo lumine in terram dejecti, Angelorum multitudo victori Domino plaudentium ſatis, ſuperque comprobarunt. Lætemur itaque, & gaudium noſtrum ſit plenum ea potiſſimum de cauſa, quod natura hominis, quæ ſalutifera Divini Reparatoris morte ab antiquo vulnere ſanata fuerat, triumphali jam ipſius Reſurrectione ad eximiam, ſingularemque gloriam elevatur.

Divi-

Divino ſane conſilio factum eſt, ut miſerrimos homines, quos primus Parens ab excelſo dignitatis loco deturbatos in interitum adduxerat, ad priſtinam vitæ rationem ſecundus Adam Chriſtus Dominus reſtitueret, ac deperdita veteris gloriæ ornamenta ipſis denuo compararet. Cum itaque perfecta Redemptione per Sanguinem ſuum ſecundum divitias gratiæ ſuæ ab interitu nos eripuiſſet, triumphum etiam hodierno die clariſſimum inſtituit, ut naturam hominis priſtina calamitate prorſus ignobilem, abjectamque ad gloriam efferret ſempiternam. Quis dubitet, ut D. Leonis utar verbis, de conſortio gloriæ, cum dubitandum non ſit de communione naturæ? Nos in Chriſto Crucifixi, nos ſumus mortui, nos etiam die tertia ſuſcitati. Et revera Apoſtolus, ut nobis patefaceret de ignobilitate terrena ad cœleſtem hodie dignitatem transferri per illius ineffabilem miſericordiam, qui ut nos in ſua proveheret, in noſtra deſcendit, nos pariter cum Chriſto conſurrexiſſe, & vitam noſtram abſconditam cum illo in Deo palam eſſe teſtatur. Quoties igitur intelligimus, quod Filium ſuum morte excitatum

Ad Ephes. 1

S. Leo Serm. 2. de Reſur.

Ad Coloſ. 3.

tum Deus exaltavit, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, toties assumpti hominis exaltationem commendari dignoscamus, ut in cujus passionibus manet Deitas indivisibilis, idem coæternus sit in gloria Deitatis: quoties legimus, quod venit hora ejus, ut a mortuis resurgens transeat ex hoc mundo ad Patrem, toties naturam nostram ad sublimem hujus gloriæ locum elatam esse gloriemur. Nam cujus naturæ futurus erat transitus iste, nisi nostræ, cum inseparabiliter & Pater in Filio, & Filius esset in Patre? O incredibilem liberalitatem! O amorem prorsus admirabilem! Illud tamen est erga nos præstantioris benevolentiæ argumentum, quod generis nostri humilitatem non tantum in seipso mirabiliter exornavit, sed immortalitatis gloriam possessione quasi fiduciaria vix adeptus, eam statim quamplurimis hominibus voluerit impertiri: monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt; ut videlicet ipsi novo, & inusitato lumine perfusi triumphum suum assequerentur, naturamque nostram singulari gloria condecoratam in Cælum inferrent. Quis non

Ad Philip. 2.

S. Leo ibid.

S. Joan. 13.

S. Leo Serm de Resur.

S. Mat. 27.

non miretur, quis laudibus non extollat tam ingentis, inauditæque beneficentiæ magnitudinem? Cum Parens optimus infirmitatis noſtræ integumenta ſuſcepit, voluit, inquit Apoſtolus, per omnia fratribus ſimilari; cum redivivus nobis iterum oſtenditur, illos ſibi conformes efficere conſtituit, & eandem claritatem, qua poſt acerbiſſimam mortem a Patre clarificatus eſt Filius hominis, nobis etiam vindicavit. Itaque munificentiſſimo Domino quammaximas gratias expendamus, qui conſuſcitavit, & conſedere nos fecit in cœleſtibus in Chriſto Jeſu: & quoniam qui eramus aliquando tenebræ, nunc lux in Domino, ut filii lucis ambulemus: fructus autem lucis, ut ab Apoſtolo docemur, afferemus uberrime, ſi in omni bonitate, & juſtitia firmiter exerceamur.

Ad Hebr. 2

Joan. 13.

Ad Ephes. 2

Ad Ephes. 5

F I N I S.